

Quaestio medica, pro baccalaureatu. : Mane discutienda. In alma monspeliensium medicorum academia. / Praeside. R. D. Francisco Chicoyneau ... ; an lui venerea frictiones mercuriales. ; [Propugnabit ... Ludovicus Bouhier de l'Ecluse ...].

Contributors

Chicoyneau, François, 1672-1752.
Bouhier, Ludovic, active 1711.
Ecole de médecine de Montpellier.

Publication/Creation

[Montpellier] : [publisher not identified], [1711?]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/zxauxpy2>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



QUÆSTIO MEDICA, PRO BACCALAUREATU.

MANE DISCUTIENDA.

In Almâ Monspeliensium Medicorum Academiâ.

P R A E S I D E

R. D. FRANCISCO CHICOYNEAU

Regis Consiliario & Medico , nec-non Pro-
fessore Anatomico & Botanico , Cancellario
Amplissimo & judice æquissimo.

An luis Venereæ Frictiones Mercuriales.

I.

UE S venerea , turpis morbus , fœda proles impuræ veneris ,
sæviens & infestus hominis luxuriosi hostis ; qui nullo hacte-
nus thure pacatus , multos plectit , paucis indulget , omnes
indiscriminatim aggreditur & æquo pede pulsat divitum turres
pauperumque tabernas , qui quos semel aggressus est , nusquam
in posterum plerumque deserit , nec filiis ipsorum nequaquam
sæpius parcit & mala largitur vitæ stamina.

Hæc infesta labes variis temporibus pro diversis auctoribus orta assigna-
tur. Ex his enim irrepuit apud Neapolim , primùm in Gallorum exercitum. Ex



illis vero *Europam* appulit ex *India Occidentali* cuin ante id tempus, nequidem nomine tenus, quantum illis scire licet nostro orbi innotuerit; unde etiam morbus vulgo censetur iis tractibus *America* endemius, in quos nos primi colonias deduximus. Aliis potius è regione aliqua *Nigritarum Guinea* conterminorum originem traxisse videtur; cùm à plurimis iisque fide dignis didiscerint mancipia recens à *Guinea* allata, etiam antequam in terram descendenterint, hoc morbo tentari, nullâ impurâ copulâ prægressâ, ita ut non raro universam eorum familiam viros scilicet, mulieres liberosque male mulctet: probabile itaque illis videtur *Hispanos* qui primi in *Europam* hunc morbum traduxere, eodem infectos fuisse ex contagio *Nigrorum* emptorum in *Africa*, quorum genti alicui endemius esse potest; multi enim sunt populi *Guinea* confines apud quos invaluit mos ille *Barbarus* homines Europæis mercibus permutandi. Probabilius verum existimo luem veneram longè ante illud tempus hominibus innotuisse, cùm de quopiam seminis profluvio loquatur *Moyses in Levit.* & *Herodot. in Lib. 3. Histor.*

Sed ut ut sit, certum est contagiosam istam lucem paulatim serpentem per decimum quintum & decimum sextum sæculum has orbis terrarum partes eò usque inquinasse, ut si eà celeritate grassaretur adhuc, quâ primùm invasit, intra sæcula aliquot actum esset de genere humano vel saltem prorsus impar esset iis rebus gerendis quibus continetur humana societas, nisi quod vegetabilium iustar, in alienum à patro solum quasi transplantata europæo nostro non perinde lœtatur, sed languet in dies & mitioribus phœnomenis fatiscit; novus apud nos hospes cùm esset, si quem arripuerat mox omnem sanguinis massam contaminabat & diris capititis atque artuum doloribus, tum etiam ulceribus variis in partibus se prodebat: at verò *Centum quinquaginta* retro *Annis Gonorrhœæ virulentæ* specie se primum ostendebat, ostenditque saepius adhuc; hac sibi portâ exitum quærens, nullo alio manifesto symptomate, nisi quod in perpaucis ulcusculum in pudendo (*Vulgò cancer*) primum est morbi indicium, cuius virus cum per *Gonorrhœam* non ejiciatur sanguinis massam dicto citius pervadit inficitque; Unde diri capititis atque artuum dolores, macula rubra, porriginæ, bubones, ulceræ, cancri, exostoses & alia id genus: ut novus *Prothæus* depingi possit, qui medico fingit crucem inter detegendum.

I I.

DI X I M U S hactenùs de luis origine & eam accuratè descripsimus. Jam de efficiente causa, cuius ad curationem in primis est necessaria cognitio, accuratiùs differendum. Hæc levis admodum & ferè corporis expers sensusque nostros effugiens, maximè à *Neotericis* agitata fuit; at nondum tamen definita quæstio est. Odiosas illorum concertationes enarrare & longius & nimis arduum foret, nostras itaque lucubrations pro virili illustrare melius decet; nostras dico non quod à nobis inventæ aut primò excogitatæ fuerint, sed quod illas nos quoque sequimur. Absit enim aliorum inventa & laborem falsò nobis arrogare: si meliora excogitassemus meliora tradere-

3

mus: sed acidum quod cum plerisque causam hujus mali efficientem arguimus, non est sal factum & in cervice nostra tantummodo existens, sed sal operationibus Chymicis ex saliva hominis ptyalismo affecti elicitum, ex multorum observationibus cum Alkalinis & sulphureis fermentescens, variis luis venereæ symptomatibus exponendis apprimè quadrans, corrosivum & humores coagulans sicut spiritus nitri & alii spiritus acidiores: ex qua proprietatum concordia, ritè, me herculè, deduci debet naturæ conformitas.

Ab iis salibus, cùm malum jam cerebrum summamque corporis arcem obsidet, multam supervacuam, pro partis conditione, serositatem ex sanguine coagulato exprimi & colligi necesse est: quæ si interclusa capite continetur, magnum & acerbum dolorem meninges distendendo commovet. Sin verò sub cutim capitis promineat vel in articulos vel artus deturbetur, cruciatus excitat immanes & diuturnos, qui noctù maximè ingravescunt ob serosatum majorem stagnationem & maximam ideo partium divulsionem. Quod si serositas coaguletur & de novo affluat, partes elevari & obdurescere, sive bubones præduros, si in glandulis id eveniat, schirrososque tumores, haud quaquam tamen doloris expertes, progigni necessum est; si verò jam acrior facta dictas partes corrodat, *Cancros* inducit. Si sub ossium membranas se recondat, tum acrimoniâ, tum distensione dolorem excitat: In ossium vero substantiam per tenues quasi tubos sese inferens, illa diffundit dilatatque in tumorem, *Exostosem*, dictum, quæ tandem carie consumpta putrescunt. Si minus acris materia cutim non exedit, ad pilotum radices effusa succo nutritio viam intercipit effluviumque concitat: quo plerique visi sunt sine capillis, qui postea repullularunt. Cur lues in his facilius, in illis tardius manifestetur, detegere arduum est: qui tamen illud discrimen tum in diversa sanguinis compage aut riori aut densiori, tum in energia & motu virùs venerei plus minusve vel aucto vel imminuto positum esse autumabit, nodum difficultatis quadantenus attinget.

Propagatur autem hæc infesta labes, vel per generationem, unde misellus infans ab inquinato parentum altero mala dicit vitæ stamina: vel per contactum mollieris alicujus partis quo virulentia atque inflamatio corpori insinuantur ex occasionibus hoc in loco dicendis. Primò in lactatione v. g. vel infans nutricem per rariores mamillarum poros, vel nutrix infantem per os tenerum inficere potest. Secundò infantes si nudi cum inquinatis in eodem lecto dormiant. Licet enim adulti quorum caro jam firmiter ætate obduruit, vix nisi intercedente impuro coitu, quamvis simul dormiant, possint infici: infantium tamen laxior caro & texturæ rioris venenum facile excipit. Tertiò autem partis mollieris contactus maximè in coitu impuro fit; ac proinde eo ut plurimum modo serpit lues; cùm scilicet penis spiritibus generationi dicatis turgidus & apertior subinde factus, à venereo sive ulcere sive etiam pustulâ in uteri vagina stabulante, noxam de faciliter haurit; quorum alterutro intus latente, mulier nihilominus sana videti potest; veneno nempe vel istarum partium illuvie ita detento, ut segnius in-

vadat sanguinem : vel per incostitutas purgationes diluto sanguis & quadam tenus exterminato.

III.

C O N T A G I O hæc per urethram in glandulas prostatas penetrans , & humorem in illis contentum inquinans , ipsas efforato ulceré solet depascere , efficitque ut sanies qualem in *Gonorrhœa* cernimus in urethram lentè extillet ; quod haud raro cernitur in eorum cadaveribus quos hic morbus è medio sustulit .

Æger (ocyùs aut seriùs prout mulier cum qua coivit magis minùsve fuerit inquinata , pro ratione etiam temperaturæ magis minùsve veneno excipiendo idoneæ) primum dolore genitalium cruciatur cum quadam rotatione quasi testiculorum ; postea liquor quidam lentè extillat seminis instar , qui quotidie à semine tam colore quam consistentiâ recedens flavescit tandem aliquantò dilutiùs ovi vitello & in gonorrhœa virulentiore intensioreque non modò virescit , sed & aqueo humore permiscetur sanguine affatim tincto . Hanc alia mox symptomata excipiunt , ut primò magnus doloris sensus in pene quando erigitur , qui noctù præcipue urget , quoties in lecto æger cœpit incalescere quam quidem constrictiōnem penis dolorificam morbi hujus in hoc statu existentis signum pathognomonicum existimo . Accedit etiam ardor urinæ , qui plerumque inter mingendum vix percipitur , at verò æger jam à mictu cessans per omnes urethræ ductum acriter admodum uritur , maximè quâ parte in glandem desinit : incurvatur etiam à fræno jam contractiore , quod cum in cœptione extenditur , pro natura sua acutissimum dolorem infert .

Nonnunquam etiam erosâ atque excoriatâ urethrâ jugi puris acrioris fluxu , natura in carne novâ vice jam deperditæ justò occupatiōn laxam quandam & spongiosam substituit , quæ mole quotidie auctâ & sensim induratâ caruncularum excrescentiis ita meatum urinarium infarcit , ut tandem lotio non decur exitus : quæ quidem carunculæ nihilominus ex ulceribus sibi adnatis ichorem quemdam evomunt , & tum medico crucem figunt inter curandum , tum ægro magis ipsâ morte timendum malum Quin imò sàpè accidit ut sanies quæ per gonorrhœam deplenda erat vel à motu vehementiori vel adstringentium usu immoderato in scrotum deposita , atrocissimum dolorem & scroti inflammationem accersat , nunc alterutro , nunc utroque ejus latere in molem ingentem elato . Atque hæc sunt communiora morbi hujus symptomata , manente hoc ejus statu .

At vero quoties sive morbi diurnitate & in dictis partibus morâ contagio sursùm fertur & sensim sanguini labem imprimit aut materia virulenta urethræ viam minimè sequens , vel indebito adstringentium usu in corpore retenta humores corruptit & infestat , vera lues exoritur ; in qua tumores sive bubones in inguine apparentes primum plerumque ejus gradum constitunt . Dolores tum caput tum artus in articulorum intersticiis , humeros

scilicet, brachia & talos crudeliter laniant, nullo ordine invadentes & per intervalla; licet noctū ægrum calore lectuli perfusum rarissimè destituant, nec nisi sub aurora libenter evanescant. Crustulæ etiam & porriginæ varias corporis partes deturpant, flavescent hæ fermè ad instar favi, quo signo à cæteris morbis queant internosci: quandoque superficie latiore varia occupant corporis spatia ad eum mōdum quo lepra in medicorum scriptis depingitur: Quintò autem magis scabies hæc diffunditur, tantò minus æger discruciat. Universa symptomata pedetentim incrudescunt, dolor præ reliquis qui tandem eò usque exacerbatur ut se nequeat miser diutiùs in lecto continere, sed protinus exiliens huc illuc cursitet in cubiculo irrequietus fermè donec illuscescat. Demùm præ succi acidi stagnatione, coagulatione & acrimoniâ cranium atque ossa tibiarum brachiorumque hinc inde attolluntur in perduta tubera, *exostoses* dicta: quæ quidem ossa tuberculis obsessa acrimoniâ tandem cariosa redduntur & putrescant. Ulcera etiam *Phagædenica* varias corporis partes depopulantur, quæ fauces tñ plurimùm primò aggredientia, sensim per palatum in nasi cartilagine propagantur, quem mox absument: ita ut is jam fulcro destitutus planè concidat. Crescentibus in dies ulceribus & dolore aucto, æger partim indesinenti carnificinâ enectus, partim ulceribus confectus & putredine, vitam trahit cruciatu, fœtore, carie, opprobrio molestissimam & ipsâ morte, longo intervallo miseriorem: donec tandem, pereuntibus per vices membris, lacerum cadaver & jam superis grave humo condatur.

Ex signis supra allatis hic morbus facile innotescet, illum verò detegere paulò difficiliùs censetur, cùm pauca tantum ex allatis symptomatis videre est: At longè difficillimum cùm aliarum affectionum symptomata mentitur; cùm nempè adsunt ophtalmiæ, surditas, aurium tinnitus, cœcitas, vertigo &c. Tunc enim consulendus est sagaci & acerrimo judicio pollens medicus, qui malum detegat, qui de morbis præteritis ægrum interroget, qui quærat an *Gonorrhœa* ille, an *Bubonibus* aliquandò affectus fuerit, & quibus usus est remediis: hâc ratione quo in loco incidas posuerit hostis callidissimus & infensissimus solerter medicum non fugiet.

IV.

CONTUMAX est hic affectus cuncta, unico excepto eludens phar-maca & immaniter admodum ferociens mortemque nisi præcaveatur in posterum afferens. Ad tempus post curationem plerumque evanescit non penitus tamen, recrudescit enim aliquandò, quamvis ut plurimùm non adeò diris symptomatibus stipetur; mulieribus minus infestus quam viris, longius à primis protrahitur. Qui sulphureum & crassum sanguinem obtinent, in illis lues tardius manifestatur, sed curatur difficiliùs: qui verò sanguine volatili & salino sunt prædicti, in his priùs appetit, sed faciliùs tollitur;

qui copiosissimâ transpiratione donantur, ii difficulter lue venerea laborant: qui gonorrhœa laborarunt in juventute; solent in senectute diro urinæ ardore vexari. Corpus humectare potius quam siccare convenit. Crustulæ copiosiores & flavæ, sudor acidum redolens & urinæ copiosiores & flavæ bonæ; Alvi fluxus diurninor, tussis & dolor capitis, malum: metus enim est ne fiat illarum partium exulceratio.

V.

AD curationem quod attinet de gonorrhœa primò agemus: Curatur enim modo prorsus diverso ac lues propriè dicta. Ad id maximè conducunt cathartica quorum auxilio ejicitur humor peccans: ad temperandam insuper inflammationem & mitigandum ardorem urinæ, emulsionem quamdam ex seminibus frigidis cum syrupo nymphæ componere non erit abs re; neque malum est quovis hujus morbi tempore sanguinem detrahere, si tumor præsertim & vehementia doloris id suadeant. Procedente curatione quacumque demum methodo tentetur æger cibis omnibus salè conditis, vel aliàs dyspeptis abstineat: vino in genere abdicato, vel saltem parcìus propinato. Alvus constipata clysteribus, herbis emollientibus, ptyfanâque laxante solvenda: ad id nihil melius conducit quam cyathus lactis expressi manè quotidiè propinatus; temperat enim & alvum laxat. Atque hæc hanenùs de gonorrhœa.

Cum verò eò usque invaluerit morbus, ut jam venerea lues vel lues confirmata dici mereatur alia omnino via quærenda est: quandòquidem nullum adhuc experimentum afferri possit extirpati melius hujuscem mali nisi per salivationem ab hydrargiro excitatam: quidquid tam doctorum nonnulli quam indoctòrum de aliis sanandi modis satis temerè & audacter effutiverint. Cum itaque omnem hic numerum absolvat, id tantum mihi incumbit, ut quæ in ea excitanda tum etiam regenda apta nata sunt edisseram.

In principio autem corpus præparandum catharticis & digerentibus, balneo puta: ut de venæ sectione jam taceam cui nonnulli hic loci primas deferunt. Balneis itaque sufficienter adhibitis unguentum præscribendum est ex axungiat porcinæ ʒij. & mercurii crudi ac therebentinâ extincti ʒi. & quartâ parte dicti unguenti inungendæ primò ægri tibiæ, secundò crura & inguina, tertio spina dorsi & axillæ, ita tamen ut neque pectus neque abdomen attingat uspiam, quartò demum brachia. Post quartam inunctionem gingivæ ut plurimum intumescent & ptyalismus suboritur: si verò intra quatuor dies post ultimam inunctionem idem haud procedat, ter quaterve adhuc parcâ manu inunctiones repeti possunt, si antea non obtriatur salivatio: sin fiat nova methodus aggredienda. Ubi primum expuere inceperit id jam medico negotii tantum est ut gradum salivationis scrupu-

losè expendat, ne invocatis temerè suppetiis, salivationem cùusque evet ut æger de vita periclitetur. Verùm ubi ptyalismus ad decimum quartum diem pervenerit; purgatione, venæ sectione & clysteribus avertendus ac ægro lintea indusiaque permutanda; alioquin enim magis quam erat opus intendere salivationem & longius protrahere apta nata sunt. Quod si forte prius clangescat salivatio quam symptomata penitus evanuerint, extimulanda subinde mercurio dulci ad Æ. vel panacea ad Æ. pro dosi exhibitis.

O B S E R V A N D U M quod si tumor ossi alicui, *Exostosis* vulgo dictus, insidet, qui etiam tamdiu permanerit ut os jam carie afficitur incassum prorsus erit sive salivatione sive aliâ quacumque methodo curationem aggredi, nisi etiam huic malo obviam eatur ac proinde os ope caustici vel alio quovis instrumento denudandum & exfoliandum aut callum producendum ope scilicet remediorum quæ intentionem hanc implere solent. In ore exulcerato, quod salivationem passis ita familiare est, si æger dolori ferendo par non sit vel os eò usque excorietur ut sanguine diffuat, idem nocte dieque lacte primùm aquæ permixto, dein vino cum aqua & vino postea puro sæpiissimè proluendum est. Diæta & reliquum ægri regimen eadem ac in catharsi imperanda, ut scilicet se in cubiculo à vi frigoris defendat æger & diætâ tenui moderate utatur, temperatain quoque regionem eligat.

Dicta methodus uti expeditior est, ita facilior, minus itidem periculosa & minus recidivæ obnoxia; cui etiam ratio adstipulatur, mercurius enim ob ipsiusinet ingens pondus & globosam figuram corpus summè movens, per frictiones ad motum aptior & facilius sanguini insinuatur, quem dicto citius fundit & attenuat. Hic simùl cum sanguine in universum corpus delatus, simùl etiam cum saliva in glandulis oris transmittitur: ubi salivæ salibus onustus (experientiâ enim compertum est salivam ad mercurium fixandum maximè pollere) yasa glandularum excretoria, ob auctam à salibus massam, nequit permeare: & continuò affluens ibique quasi carceratus tumorem primò inter vasorum interstitia, ulcus deinde extra glandulas effusus efficit; per quod saliva & serositates attritæ venereisque onustæ acidis & continuò affluentes effunduntur & cum ipsis virus venereum. Unde jure concludo,

E R G O

Lui venereæ frictiones Mercuriales.

Propugnabit in Augustissimo Monspeliensis Apollinis fano **LUDOVICVS BOUHIER DE L'ECLUSE** Sabulonæus, Apud **PICTONES** Artium Liberalium Magister & jam dudum Medicinæ Studiosus die mensis Septembris anni 1711.

